Sr. Hochwürden
dem Herrn Professor D. Lücke
zu Göttingen

ehrerbietigst überreicht

von dem Verfasser

VIRO

AMPLISSIMO ADMODUM REVERENDO

EDUARDO GUSTAVO FELLERO

SOCIETATIS EORUM

QUI

PRAESIDE

JOANNE ERNESTO RUDOLPHO KÆUFFERO

THEOL. ET PHIL. DOCT. CONSIST. IN REGNO SAXON. CONSIL.
CONCIONAT. AUL.

EXEGETICIS STUDIIS OPERAM NAVANT

NUPER SENIORI LONGE MERITISSIMO

PASTORIS MUNUS APUD NEOKIRCHENSES SUSCEPTUM

OBLATO HOC EXEGETICORUM STUDIORUM QUALICUNQUE FRUCTU

AMICE CONGRATULANTUR

EIUSDEM SOCIETATIS SODALES

Ernest Volkmar

INTERPRETE

ERN. VOLKM. KOHLSCHÜTTERO

ECCLES. REFORM. DRESD. CONCION.

INEST COMMENTATIO EXEGETICA DE LOCO EVANGELII
JOANNEI CAP. II. V. 19.

DRESDAE,
LIBRARIA CHR. FR. GRIMMERI.
MDCCCXXXIX.

SOCIETATIS EXEGETICAE, QUAE DRESDAE EST, NUNC SODALES.

Georg. Herm. de Criegern, Soc. Senior, cand. rev. min. in schola Blochmann. collega.

Car. Gottl. Schettler, Past. design. apud Niesscenses.

Car. Maurit. Planitz, rev. min. candid.

Henr. Aug. Manitius, philos. doct. rev. min. candid.

Joann. Benno Kummer, philos. doct. rev. min. candid.

Ludov. Koettschau, philos. doct. rev. min. candid.

Frid. Car. Doehner, rev. min. candid.

Frid. Aug. Dietrich, rev. min. candid.

Andr. Sommer, philos. doct. rev. min. candid.

Detl. Ferd. Maxim. Hallbauer, rev. min. cand. in schola ad sctae crucis collabor.

Ernest. Volkmar. Kohlschütter, eccles. reform. Dresd. concionator.

Gust. Herm. Wolff, nosocomii urbani concionator.

Frid. Jul. Herm. Schlurick, theol. candid. in schola ad sctae crucis collabor.

Anton. Eduard. Clauss, rev. min. candid.

Quum Tu, dilectissime Fellere, ad ecclesiasticum ministerium apud Neokirchenses suscipiendum evocatus urbem nostram nuper relinqueres, hanc prosperrimam Tuam vicem ex animo Tibi eo magis gratulati sumus, quo certiores eramus, Te summa cum laude in novo munere versaturum esse. Ex quo vero discesseras, fieri non potuit, quin saepe cum magno Tui desiderio ejus temporis memoriam apud nos repeteremus, quo Tua consuetudine uti et, quae Tua esset humanitas, quae doctrina, quod optimarum quarumque rerum studium, qui Tuus erga nos amor, certissimis documentis experiri nobis licebat. Maxime autem tangebat animum memoria Tuorum meritorum de constituenda regendaque exegetica societate, florente illa duce Jo. Ern. Rud. Kaeuffero, Viro Praecellentissimo, quem utrum amemus magis, an veneremur, nescimus. Tu enim primus conciliandae hujus societatis consilium cepisti; Tu a S. Ven. Kaeuffero, ut ei praeesse vellet, et petivisti et, quae ejus est benignitas, facile impetrasti; Tu per hos quinque, et quod excurrit, annos senioris munere a commilitonibus unanimo consensu Tibi demendato summa cum laude et perpetuo sodalium plausu functus es. Quae omnia quoties animo considerabam, semper optabile mihi videbatur, ut publicum quoddam existeret nostrae erga Te pietatis monumentum. Itaque magnopere laetatus sum, quum Kaeufferus ipse, ut libello aliquo, qui Tuo nomine inscriberetur, Tuorum de rebus nostris meritorum memoriae consuleremus, suaderet et commilitones propense adnuerent. Hujus autem libelli conscribendi provinciam a

commilitonibus mihi demandatam eo lubentius suscepi, quo exoptatior mihi erat haec aliquod singularis mei in Te amoris testimonium, publice edendi opportunitas. Et quamvis probe intelligerem, doctorum virorum reprehensionem mihi verendam esse, si mea scriptione eas literas adtingere auderem, quae et per se gravissimae sunt et magnam requirunt doctrinae copiam, magnum ingenii acumen, malui tamen hoc nomine vituperari, quam huic jucundissimo et honorificentissimo officio deesse. Itaque quod munusculum modeste Tibi offerimus, hoc ut tanquam sincerissimi amoris nostri sensusque Tibi obligati pignus benevole accipias, meo et reliquorum sodalium nomine rogo Te atque oro. —

Quod vero elegi scriptionis argumentum, hoc Tibi communium nostrorum studiorum memoriam renovabit. Etenim quum aliquem circumspectarem novi testamenti locum, cui per hanc scribendi opportunitatem meam qualemcunque operam navarem, in illum ipsum incidi locum, de quo jam ante hos duos annos, quum primum in hanc nostram societatem intrarem, me Tecum disputare memini: celeberrima ista dico Jesu Christi verba, quae apud Joannem 2, 19. leguntur:

Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.

De his domini nostri verbis quatuor potissimum prolatae sunt a viris doctis sententiae, quarum duas praeiverunt, alteram apostolus, alteram ii, quibus haec dixit Jesus. Alteras vero nuper demum proposuerunt interpretes, ita ut negarent alii, Jesu verba recte esse intellecta tam a Judaeis, quam a Joanne; alii Jesum ne usum quidem esse his verbis contenderent. Age igitur, quid mihi de his hujus loci explicationibus videatur, audi. —

I.

Apostolus v. 21. sq. Jesum de templo non Hierosolymitano, sed corporis sui loquutum esse, ejus vero discipulos verum horum verborum sensum tum demum percepisse dicit, quum dominus revixisset. Et in hac apostolica verborum Jesu interpretatione, donec Henkius [1]) Helmstadiensis de hoc loco scriberet, omnes adquieverunt interpretes. Etenim praeter patres ecclesiae [2]) etiam Grotium, Bengelium, Wolfium atque eos [3]) hanc explicationem adoptasse video, qui singulares de hoc loco commentationes scripserunt. Ex quo vero Henkio primum auctore controversia de horum verborum sensu coorta est, non defuerunt, qui Joanneam sententiam defendere studerent. Et primus quidem Henr. Matth. Aug. Cramerus, ecclesiastes Quedlinburgensis, Henkium literis ipsi scriptis impugnavit [4]). Cramerum sequuti sunt Flattus, Storrius, Suiskindius, Kuinoelius, Hildebrandus, Heubnerus, Tholuccius, Kleeius, Klingius atque Hasertus [5]). Praeter hos hoc loco commemorandi sunt Ols-

---

1) H. Ph. C. Henke: Joannes apostolus nonnullorum Jesu apophthegmatum in ev. suo et ipse interpres. Helmst. 1798. — Hanc Henkii commentationem iterum typis exscribendam curavit Pottus in sylloge commentt. theoll. Helmstadii 1800. I. pg. 1. sqq. cf. inprimis pg. 8. sqq. —

2) Cf. Corderii catenam patrum in sct. Joann. Antverp. 1630. fol. pg. 78. sqq. — Thomae Aquinatis catenam vere auream in quatuor evv. fol. CCL.

3) Innotuerunt mihi: Frid. Sellius: meditatio de templi personalis Jesu Chri. solutione et excitatione ex dicto Joh. II. 19. Argentorati 1686. — Chr. F. Boerner: oraculi Christi Joh. II. 19. expositio. Lips. 1722. 4. (cf. ejusdem dissertt. sacras Lips. 1752. XIII. pg. 212. sqq.) — J. H. Becker: Pg. pasch. ad Jo. II. 19. Rost. 1753. 4. —

4) Has literas ipsius Henkii commentationi subjunxit Pottus in sylloge I. pg. 22. sqq. — Crameri specimen animadversionum in locum Jo. II. 19. sqq. —

5) Storr: hat Jesus seine Wunder für einen Beweis seiner göttlichen Sendung erklärt? in Flatt's Magazin für Dogm. und

hausenius [6]), qui tamen duplicem sensum (literalem atque mysticum) Jesu verbis subesse opinatus Judaicam cum apostolica interpretatione conjungere voluit, atque H. A. W. Meyerus [7]), qui, singularem viam ingressus, Jesum de corpore quidem suo, neque tamen de futura sua e mortuis resurrectione cogitasse contendit. Qui mihi omnes de apostolicae sententiae veritate non persuaserunt. Hoc quidem facile largimur iis, qui hanc apostoli rationem defensum iverunt, verba ipsa, quae hic leguntur, non impedire, quo minus Joanni adsentiamur. Nolumus enim in scriptoris verbis alium quaerere sensum, atque illum, quem iis inesse ipse voluit. Quare ii mihi operam perdere videntur et oleum, qui ex ipsis illis, quibus Jesus usus esse dicitur, verbis, et grammaticis quidem rationibus usi, demonstrare velint, eum corpus suum non significasse. Etenim nisi quis Paulo Heidelbergensi credat, Jesum Graece hic loquutum esse, nemo facile negabit, Joannem ne potuisse quidem aliis verbis uti, quam quibus ille sensus inesse posset, quo Jesus ei loquutus esse videbatur. Quare argumenta potius e re ipsa petenda sunt. —

1) Et primum quidem ex ipsa narratione apparet, neque Judaeos, neque discipulos Christi tum de corpore ejus cogitasse. Quamvis enim Suiskindius ex v. 22. apparere dicat, apostolos verba recte quidem de corporis templo intellexisse, sed nullam iis fidem tribu-

---

Moral. St. IV. 4. pg. 198. — Süskind: Einige Bemerkgg. in Bez. auf die Frage, ob Jesus seine Auferstehung bestimmt vorhergesagt habe? — daselbst St. VII. 5. pg. 212. f. — Flatt: symbolae ad illustranda graviora quaedam Jesu dicta in ev. Jo. Tub. 807. 4. — Hildebrand's u. Hüffel's Zeitschrift für Predigerwissenschaft II. 1. pg. 6. ff. — Heubner: Reinhard's Versuch über den Plan etc. Wittenberg 1830. 8. S. 105. Anm. u. S. 402. — Kling: theol. Studien u. Kritiken. 1836. Hft. I. S. 127. ff. — Chr. Ad. Hasert (Greifswaldensis): Ueber die Vorhersagungen Jesu von seinem Tode und seiner Auferstehung, ein exeget. dogmat. Versuch. Berlin 1839. 8. S. 81 ff. — Praeterea cf. Kuinoelii, Tholuccii, Kleeii commentarios in ev. Jo. —

6) Olshausen: Commentar zu dem Ev. Joh. 3. Aufl. S. 86 ff.

7) Meyer: Krit. Handbuch über das Ev. Joh. S. 42.

isse, tamen speciosior ejus argumentatio esse videtur, quam verior. Nam quomodo ante domini in vitam reditum istum sermonem intellexerint, ejus rei nulla in apostoli verbis significatio inest. Quae quum ita sint, minime est probabile, Christum corpus suum digito monstrasse, ut volunt ii, qui Joanneae interpretationi favent [8]). In quovis alio loco omnes, qui sanae hermeneuticae legibus parent, e responsione Judaeorum hoc potuis concluderent, Jesum templum vel oculis in illud conversis, vel sublata manu monstrasse. Itaque Christus, si de corpore suo loquutus fuisset, certe aliquid dixisset, quod audientes neque intellexissent, neque intelligere potuissent. Quamvis enim corpus humanum 1 Cor. 6, 19. ναός dicatur (loci 1 Cor. 3, 16. 2 Cor 6, 16. in quibus non de singulis Christianis, sed de toto Christianorum, qui Corinthi erat, coetu sermo est, male huc trahuntur), tamen ex hoc Paulino loco minime probari potest, hanc comparationem vulgarem fuisse. Neque per se corpus ναός adpellari potest, nisi quid accedat, quo audientes legentesve ad hoc vocabulum metaphorice accipiendum adducantur, quod hoc loco eo minus omitti potuit, quo facilius omnes de templo ipso, in quo versabantur, cogitare poterant. Recte enim Zeizerus quidam [9]) praecipit: „videndum est semper interpreti, cui dicantur, quae explicare sustinet. Perpendat, inquit Erasmus in egregio illo libello de ratione verae theologiae, interpres, a quo dicatur, cui dicatur, quo tempore, qua occasione, quibus verbis, quo animo, quid praecesserit, quid consequatur. — — — Intelligi enim cum quisque cupit ab iis, quibus scribit, usurpasse, modo sit prudens, censendus erit voces loquutionesque eas, quae lectoribus sunt

---

8) v. c. Fr. Nic. Taubert: dissert. herm. de repraesentatione actionis, h. e. pronuntiationis ac gestus tanquam subsidio exegetico. Helmst. 1746. 4. § L. pg. 74. „non obscurior dicendus est sermo domini. Adhibito enim nutu vel gestu demonstravit Chr. intelligendum esse corpus suum.“ Similiter Cramerus, Tholuccius, Klingius.

9) Chr. G. Zeizer in commentatiuncula ao. 1782 Zwiccaviae edita. —

maxime perspicuae; faciet hoc inprimis dum in gravi difficilique argumento versatur.“

2) Futurum suum e mortuis reditum Christum in mente habuisse, etiam propter primam personam ἐγερῶ non verisimile est. Ille enim apud sacros scriptores semper ad omnipotentem deum auctorem refertur: cf. v. c. Act. 3, 15. 1 Cor. 6, 14. etc. Quamquam negari nequit, hujus argumenti pondus non tam loco cp. 10, 17. 18. quam apostoli ipsius auctoritate nonnihil elevari. Sed non dubito adsentiri Lückio, cui Joannes, qui universam magis sententiam, quam singula verba spectaret, ad hanc verborum Jesu suaeque explicationis repugnantiam animum non advertisse videtur. —

3) Sed tertium accedit et gravius argumentum. Si vere de templo corporis futuroque in vitam reditu dixisset dominus noster, hic ejus verbis sensus inesset: „interficite me sc. post duos annos,“ quod absurdum est (nisi quis hac ipsa de caussa statuere malit, hanc rem non primo illo paschate, sed — ut est apud reliquos evangelistas — serius accidisse paucis ante mortem Christi diebus). Quam difficultatem ut evitaret, Meyerus recte haud dubie statuit, Jesum Judaeos statim aliquid facere jubere. Sed utravis ratione videremus Jesum Judaeos ad se interficiendum, ad crimen turpissimum committendum incitantem et quasi ipsum interficiendi jure eos donantem, quod neque potuit facere, neque unquam fecit. Hoc certe esset ἐκπειράζειν τὸν θεόν· Matth. 4, 7. Huc accedit, quod Jesum multo post adversariorum insidias evitare videmus, ὅτι οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ: cf. Joh. 7, 6. 30. 8, 20. 59. 10, 39. 12, 36. Atque hoc mihi primarium videtur in refutanda apostolica illa horum verborum explicatione. Cujus argumenti pondus qui sentirent, neque tamen deserere vellent Joannem, eo confugerunt, ut imperativi vim elevarent: alii (Cyrillus Alexandr. eumque sequutus Boernerus) ita, ut eum pro futuro positum esse dicerent; alii (v. c. Tholuccius) ita, ut eo solam conditionem indicari contenderent, sub qua aliquid futurum esset: hoc modo: „si me interfeceritis etc.“ Sed caret haec ratio fundamento

grammatico neque argumentis idoneis defendi potest. Etenim imperativus in hujus generis locis nunquam sine causa neque ita positus est, ut nihil jubeatur. cf. S. Ven. Wineri gramm. pg. 258. sq. ed. 3. pg. 288. sq. ed. 4. ad quam Tholuccius frustra provocat, ut sententiam suam defendat. An credit vir doctus, Jesum Luc. 10, 28. verbis *τοῦτο ποίει καὶ ζήσῃ* hoc solum dicere: hoc si feceris, vives"; anne potius graviter jubere: „ita fac, et (si feceris) vives"? — Aliam viam Heubnerus ingressus est, ut, quomodo Jesus imperativo uti potuerit, ostenderet. Scilicet plane eodem modo, quo Matth. 23, 32. „*καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν*," Jesum ita loquutum esse putat, ut animos feriret et, quo se jam abripi paterentur audientes, aperiret. Sed ille apud Matthaeum locus non recte cum nostro componitur: ibi enim ex toto orationis tenore luculenter adparet, Jesum non jubere, quod fieri vellet, sed summo dolore affectum tandem permittere, quod amplius impedire non posset. cf. Wineri gramm. pg. 258. ed. 3. pg. 287. ed. 4. Nostro vero loco adversarii Jesu eum interficiendi consilium nondum prodiderant. —

Quae quum ita sint, a nobis impetrare non possumus, ut in apostoli sententiam discedamus. Neque eorum apud nos valet auctoritas, qui — ut Kuinoelius atque Tholuccius — loco Matth. 12, 40. (*ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας· οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας*) interpretationem apostolicam mirifice confirmari dicunt. Nam qui genuina haec verba et ab ipsius Jesu ore profecta esse putant, quomodo — quaeso — hoc vaticinium cum iis evangelistarum testimoniis conciliabunt, quibus Jesum duas summum noctes in sepulcro fuisse nuntiant? Storrii[10]) enim computatio, qui efficere studet, tribus diebus tribusque noctibus non longius temporis spatium indicari, quam quod Jesus in sepulcro degerit, paucis, opinor, placebit. Quare haec verba eo magis suspecta esse debent,

---

10) l. supra cit. pg. 192. not. 28. —

quo magis ex loco parallelo apud Lucam 11, 29. sqq. apparet, similitudinem his in locis minime — id quod facile crederes, si solum Matthaeum legeres — in eo inesse, quod Jonas in ventre ceti tres dies tresque noctes versatus fuerit, sed in eo, quod — quemadmodum tunc, sic nunc pagani facilius, quam Judaei resipiscerent[11]). Itaque hic primi evangelii locus frustra in auxilium vocatur ab iis, quibus Joannea ratio placet: quid vero lucis nostro loco affundat, infra declarare studebimus.

His omnibus de caussis persuasum habeo, neminem unquam dubitaturum fuisse, domini nostri verba aliqua ratione ad ipsum templum referre, nisi evangelistae obstitisset auctoritas. Itaque si quis quaerat, quo tandem jure ab ipsius apostoli interpretatione recedamus, recordetur ille, in n. To. et apud ipsum Joannem non paucos vet. Ti. locos, qui tum, quum scriberentur, longe alium haberent sensum, ad Jesum ita referri, ut, quod Jesus vel fecerit, vel passus fuerit, praesignificare dicantur: v. c. Jo. 12, 15. 16. coll. Zachar. 9, 9. — Jo. 12, 38—41. coll. Jes. 53, 1. 6, 10. — et inprimis Jo. 19, 24. 36. sq. coll. Ps. 22, 19. Exod. 12, 46. Zachar. 12, 10[12]). — Simili ratione hic auctor nonnunquam ipsius Jesu verbis usus est iisque id, quod postea evenit, obscure praesignificatum esse putavit. Nam ex locis Jo. 7, 38. 39. 12, 31—33. coll. 18, 32. fortasse etiam 21, 18. 19. intelligimus, Joannem ea etiam Jesu verba, quibus nullum inest vaticinium, lubenter ad certam aliquam rem post factam referre[13]).

---

11) cf. Hase: das Leben Jesu pg. 186. ed. 2. — Bleek: theol. Stud. u. Krit. 1833. Hft. II. pg. 451. a.

12) cf. praeter ea, quae viri docti in commentariis de his locis adnotarunt: de Ammon: Fortbildg. des Christenth. etc. I. S. 182 f. 189. f. ed. 1. — de Cölln: bibl. Theol. Bd. 2. S. 291. sq. — Bleekii commentationem: einige Bemerkungen über die dogmat. Benutzung alttest. Aussprüche im n. T. und deren normat. Bedeutung für den chr. Ausleger. mit bes. Bezhg. auf Ebr. 1, 5 — 13. in theol. Stud. u. Krit. 1835. Hft. II. pg. 441 ff. — denique Theilii: Aphorismen über den sog. alten u. neuen Glauben. Leipzig 1839. pg. 26 — 34.

13) Non nego, eandem mihi esse videri originem eorum apud synopticos locorum, in quibus, quamvis claris et nullo modo ambi-

II.

Quod si apostolo in dicto Jesu explicando adsentiri nequimus, eorum nobis examinandae erunt sententiae, qui alia, atque ea, de qua hactenus actum est, ratione hujus loci nodos expedire posse sibi videbantur. Et supra jam commemoravimus, Henkium primum multis auctorem exstitisse, ut allegorico quodam sensu Jesum de templo et destruendo et instaurando dixisse putarent: ita ut non templi aedificium ipsum, sed sacra Judaica in mente habuerit[14]. Praeter Herderum et Eckermannum[15] viam ab Henkio tentatam munire studuerunt Paulus[16], Lückius[17], Blee-

---

gnis verbis de futura sua morte atque adeo de ipso spplicii genere Jesus loquatur, tamen discipuli ejus hos sermones non intellexisse dicuntur. cf. Hase: l. c. § 109. — Caeterum lege, quae Lückius in commentario pg. 432. ed. 2. et Bleekius theol. Stud. u. Krit. 1833. Hft. II. pg. 448. seq. — disputarunt, ut ab apostoli interpretatione recedendi jus sibi vindicarent. —

14) Henkii verba l. cit. haec sunt: „diruite vestrum hoc templum, utinamque jam sublatum esset hoc probrum et melioris disciplinae obstaculum! brevissimo tempore novum, imò sanctius aliquando instaurabo h. e. meliorem religionem tradam et in locum sacrorum vestrorum sufficiam.“ Proposita tamen hac explicatione Henkius, ne injuria fieret apostolo, suam et apostolicam sententiam ita inter se conciliare tentavit, ut *ναὸν τοῦ σώματος* v. 21. allegorice de ecclesia christiana, tanquam Christi corpore, dictum sumeret. Plane eandem viam jam Origenes ingressus est: cf. opp. ed. Delarue tom. 4. in ev. Jo. tom. X. pg. 196. sq. *ἀμφότερα μέντοιγε τό τε ἱερὸν, καὶ τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ κατὰ μίαν τῶν ἐκδοχῶν τύπος μοι εἶναι φαίνεται τῆς ἐκκλησίας.* § 20 — 26. Sed *σῶμα* v. 21. ab apostolo non allegorice, sed proprie dici, ex v. 22. ubi de resurrectione sermo, satis luculenter apparet. —

15) Herderus: von Gottes Sohn der Welt Heiland. — Eckermannus: theol. Beiträge. Bd. 5. pg. 60 —

16) Commentar über das Ev. des Joh. I. S. 176. „*ναὸς*, Tempel, das Ganze steht für einen Theil der Tempeleinrichtung.“ —

17) Commentar über das Ev. des Joh. I. S. 417 ff. ed. 2. inpr. pg. 426. sqq. „Der Tempel Symbol des ganzen jüd. Caerimonialdienstes.“ — „Fahrt nur so fort, den Tempel zu entweihen bis zur völligen Zerstörung seines Dienstes, — ich will euch ein Zeichen geben, was euch meinen reformatorischen Messiasberuf in

kius[18]) atque de Wettius[19]). Jam vero si quaerimus, quibus hi viri argumentis sententiam suam probaverint, parum nobis consultum videmus. Etenim si ab iis recesseris, quae contra apostolicam atque Judaicam — quam vix dignam habent, de qua accuratius dicatur — explicationem disputant, omnia eorum argumenta aliunde petita sunt, ne unum quidem ex ipsis Jesu verbis, nisi hoc: hanc eorum interpretationem probabilem aliquem exhibere sensum atque eum, qui illi loco et tempori maxime esset accommodatus. Num vero per loquendi usum et per ipsa, quibus Jesus usus est, verba liceat, *ναοῦ* vocabulum ad sacra Judaica referre, hanc difficillimam et, si quid video, cardinalem quaestionem ne adtingunt quidem. Praeterea non adsequor, quid commendationis Lückii explicatio ab illo pseudomartyrio ducat, quod apud Marcum 14, 58. his verbis relatum legitur: „*ὅτι ἐγὼ καταλύσω τὸν ναὸν τοῦτον τὸν χειροποίητον, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλον ἀχειροποίητον οἰκοδομήσω.*“ Nam his ex verbis hoc solum adparet, tum temporis etiam fuisse, qui verba Christi sensu non proprio acciperent: sed nullo modo hoc, ea vere ita esse accipienda. — Itaque tantum abest, ut hi interpretes nobis de veritate explicationis suae persuaserint, ut gravissimas de ea dubitandi caussas habeamus. Nihil nunc dicam de eo, quod Jesus

---

vollem Lichte zeigen soll; in drei Tagen richte ich euch den Tempel auf, d. h. in kürzester Zeit erbaue ich euch den wahren Tempel Gottes, die neue messianische Verehrung Gottes im Geiste und in der Wahrheit, vergl. 4, 24.“ — Lückius igitur imperativo similem atque Heubnerus potestatem tribuit; ab Henkio autem eo dissentit, quod Jesum neque optasse, neque jussisse putat, ut templum deleretur, sed exprobrasse Judaeis profanati templi crimen. —

18) Theol. Studien und Kritiken. 1833. Hft. II. S. 442 ff. — Bleekius plane cum Lückio conspirat.

19) Kurze Erklärung des Evang. und der Briefe Johannis, Leipzig 1837. 8. S. 39. — de Wettius eo tantum a Lückio discedit, quod imperativum hypothetice positum esse contendit: „gesetzt, ihr brächet diesen Tempel ab, so habe ich die Macht, ihn bald wieder aufzurichten: Sed imperativi vim, cur elevare non liceat, supra exposuimus. —

alibi, ubi inpropria ejus verba proprio sensu capiuntur ab audientibus, melius hos edocere et ad sublimiorem istum sensum animos eorum advertere solet, velut Matth. 16, 5—12. Joh. 4, 11. 6, 52 sqq. Hoc tamen loco tacet, neque erroris eos convincit. Sed, quod gravius est, nemo facile demonstraverit, *ναοῦ* vocabulum eam habere potestatem, ut simpliciter sacra significare possit. Et quamvis Henkius, Lückius et qui eos sequuti sunt, non tam hanc in eo vocabulo notionem quaerant, quam, id quod — ne injuria iis fiat — probe observandum est, hunc sensum ex eo elicere studeant, tamen ne hoc quidem defendi potest. Facile quidem hoc largior, perobscuram esse et nequaquam satis explicatam difficillimam illam quaestionem de verbis translatis. Rectissime tamen jam Cicero libro III. de orat. §. 155. docet, modum transferendi verbi a necessitate genitum, post a delectatione et jucunditate celebratum esse. „Nam ut vestis frigoris depellendi caussa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiae caussa, frequentata delectationis.“ — — „Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, ejus rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo.“ Propriis autem verbis hoc declarari non potuisse, quod Jesum hoc loco significasse volunt illi, quos diximus, interpretes, nemo contenderit. Neque quis dixerit, hanc translationem tam vulgarem et tam facilem fuisse ad intelligendum, ut, quid sibi vellet Jesus, non potuissent non perspicere Judaei; multo minus ita comparatam, ut rem illustrare posset. Imo obscurius loquutus esset Jesus hoc loco, quo eum obscure loqui voluisse parum credibile est. Nihil enim inest in ejus verbis, unde Judaei suspicari potuissent, eum symbolice vel allegorice loquutum esse: in tota enuntiatione nullum est verbum, quod improprie accipi debeat: *λύειν* enim et *ἐγείρειν* etiam apud Graecos de diruendis et exstruendis aedificiis dici, exemplis bene multis ostenderunt interpretes: et illud *ἐγερεῖς* v. 20. eodem sensu dictum esse, res ipsa docet. Perspicuitati igitur male consuluisset Jesus, si *ναοῦ*

vocabulo res Judaeorum sacras significare voluisset: „quae quum sit — ut Faberi vel Frommanni [20]) verbis utar — scripti (et dicti) alicujus virtus primaria, intelligitur, scriptorem aliquem, quamdiu improprie loqui voluisse nondum fuerit probatum, proprie loquutum putandum esse.“ Ornandae autem orationis caussa Jesum tali translatione usurum fuisse, non verisimile est: nam „si cui nihil est propositum, nisi ut alios doceat, non quaeret aurium delectationem aut pulchritudinem orationis, sed unam perspicuitatem: atque etiamsi quis sapiens non illam unam sectetur, sed sermonis quoque elegantiam perspicuitati adjunctam, neque tamen sic insistet oratoriis ornamentis, ut iis sublata prima orationis virtus, perspicuitas, videatur“ [21]). — Quare non possumus non nostram consensionem etiam ab hac altera verborum Jesu interpretatione cohibere. Quamvis enim cum templi eversione sacrorum mutatio conjuncta esse posset et fortasse deberet [22]), tamen haec Jesu verba ad hanc solam, illa plane neglecta, referri non possunt, nisi arbitrio plus, quam hermeneuticis legibus tribuere malimus. —

III.

Sed priusquam exponamus, quamnam hae leges explicationem flagitent, paucis adtingenda esse videtur Bretschneideri et Straussii, mythorum venatoris, sententia, qui, an ipsa Jesu verba hoc loco legantur, dubitant.

---

20) Jo. Ern. Faber et Erh. Andr. Frommann: disputatio hermeneutica de canone, quo a sensu verborum proprio non esse facile recedendum praecipitur. Coburgi 1765. 4. cf. inpr. § XIV. pg. XXIII. „Propria verborum significatio, quae in usu adhuc et consuetudine hominum versatur, quia ad quas res significandas verba inventa sunt, earum etiam cogitationem in animis lectorum facillime excitant, adjuvare multum potest perspicuitatem.“

21) Haec verba deprompta sunt ex disputatione hermeneutica, bonae frugis plenissima, „de discernenda propria et tropica dictione,“ quam sub praesidio Jo. Aug. Noesseltii edidit Eberh. Frid. Ludekius. Halae Magdeburg. 1762. 4. cf. pg. XXIX. —

22) Utrumque inest in illo Actorum loco 6, 14. καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη, ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς.

Bretschneidero [23]) enim, quum scriberet, quae ipsi viderentur probabilia, quarti evangelii auctor improbabilia hoc loco scripsisse visus est. Nimirum, quum neque Matthaeus, neque Marcus, Jesum unquam talia, vel similia dixisse, imo istos, qui Jesum horum verborum accusassent, ψευδομάρτυρας fuisse narrent, persuaserat sibi Vir S. Ven. scriptorem ad sermones allegoricos propensum genio suo ita indulsisse, ut Jesum vere ita, sed — quo omnem calumniam ab eo derivaret — mystico sensu loquutum esse putaret, adeoque narraret. Sed ex eo, quod isti martyres dicuntur ψευδεῖς, nondum sequitur, totam narrationem esse fictam. Et quomodo isti pseudomartyres, nisi simile quid dixisset Jesus, in hanc maxime accusationem inciderint, difficile est ad divinandum. Jure igitur suo Straussius in hanc Bretschneideri sententiam concedere dubitavit. Sed quam praefert viam [24]), ea non magis nobis probatur. Scilicet, quum intellexisset, omnes hujus loci interpretationes a viris doctis propositas ob eam maxime difficultatem, quam verba ἐν τρισὶν ἡμέραις parerent, habere, cur displicerent, statim conjicit, non e Joanne, sed ex actis apostolicis 6, 14. ipsa Jesu verba esse discenda, propterea, quod ibi difficillima ista verba non legantur [25]). Quum vero pseudomartyres his verbis usi esse dicantur, Stephanus, Straussio quidem auctore, haec potius dixisse videtur: καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, καὶ πάλιν οἰκοδομήσει αὐτὸν, vel καὶ ἄλλον (ἀχει-

23) Probabilia de ev. et epp. Joannis apostoli indole et origine. Lips. 1820. 8. pg. 23 — 25. —

24) Das Leben Jesu, kritisch bearbeitet. Zweite Aufl. Tübingen 1837. cf. tom. II. pg. 330 — 336. Primum Joanneam explicationem justis, uti nobis videtur, argumentis refutat. Judaica vero explicatio ei ne digna quidem visa est, de qua latius dissereret. Tum ad refellendam allegoricam interpretationem aggreditur argumentis non satis fortibus. Denique contra Olshausenium et Bretschneiderum disputat.

25) „Wenn hiernach bei jeder Deutung des Ausspruchs, ausser bei der unmöglichen auf den Leib Jesu, das ἐν τρισὶν ἡμέραις einen Anstoss bildet: so werden wir, wie es scheint, auf diejenige Relation des Ausspruchs hingewiesen, in welcher jene Zeitbestimmung fehlt, d. h. auf die Relation der Apostelgeschichte.“ —

ϱοποίητον) οἰκοδομήσει [26]). Quo Jesu dicto, quum vehementer offenderentur Judaei, post Jesu in vitam reditum facile ejus verba ad hunc referri potuerunt, tum ut omnis ab eo invidia amoveretur, tum ut vaticiniorum eventu comprobatorum numerus augeretur. Denique quid impediebat, quo minus formula ἐν τρισὶν ἡμέραις in resurrectionis commemoratione sollemnis his Jesu verbis interponeretur et mox verbum ἄλλον in αὐτὸν, οἰκοδομήσω in ἐγερῶ mutaretur? Sed in omni hac argumentatione nihil non pendere ex mero Straussii arbitrio, quin intelligat, nemo est. —

IV.

Per has igitur interpretationum ambages eo jam redacti sumus, ut ad eam redeamus verborum Jesu explicationem, quae et antiquissima est, et sola reliqua esse videtur: ad spretam illam a doctis viris Judaeorum explicationem, qui, Jesum de ipso templo loqui, non dubitabant. Huic vero — quam brevitatis ergo Judaicam appellare liceat — interpretationi pauci, quoad equidem sciam, patrocinati sunt. Etenim praeter Forbergium [27]), Lycei Salfeldani quondam conrectorem, qui ita de loco nostro scripsit, ut praeter sententiam ipsam nihil in ejus scriptione placere possit, quodammodo certe Olshausenius, cujus decretum supra commemoravimus. — Cui Judaicae interpretationi cur et quo sensu nos etiam suffragemur, jam breviter enarrabimus. —

1) Et primum quidem — hoc enim ex iis, quae hactenus disputavimus, satis luculenter apparere putamus — si sola Jesu verba et rei narrationem simpliciter spectamus, propria verborum Jesu interpretatio veri simil-

---

26) „Das Falsche in dieser Aussage (ὅτι Ἰ. ὁ Ναζαραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς) könnte (!) der zweite Satz sein.“ —

27) Fr. C. Forbergius: animadversionum in loca selecta n. t. spec. I. Jenae 1797. 4. — Tota ejus scriptio repetita legitur in bibliotheca Joh. Ern. Chr. Schmidtii: Bibliothek für Kritik u. Exegese des n. T. etc. Bd. 2. St. 2. S. 334 ff. —

lima est. Res accidit in ipso templo, ipsis Jesu verbis nihil inest, quo audientes commonefierent, ut sensu non proprio ea sumerent; Judaei — et tum quidem temporis haud dubie etiam apostoli — verba Jesu ita accipiunt. Jesus intactam relinquit eorum sententiam et ne discipulos quidem seorsus, ut solet alias, aliter edocet. —

2) Sed Jesum hoc promisisse, paucis fortasse credibile videtur, et propter ipsam templi sanctitatem et propterea, quod ne exspectare quidem potuerit, Judaeos templum esse eversuros. Quod facile concedimus. Sed hanc ipsam rem ad veram hujus loci interpretationem nos adducere posse credo. Scilicet Jesus, quum exspectare minime posset, Judaeos templum esse disturbaturos, nihil aliud voluit his verbis, nisi hoc, ut importunas Judaeorum quaestiones a se amoliretur, eos ad silentium redigeret simulque Messianam suam auctoritatem adsereret. Haec responsio et accommodata erat ad quaestionem Judaeorum: σημεῖον enim hoc fuisset; et ad adsequendum istum finem aptissima. Caeterum, si miraris, Jesum hac maxime ratione rejecisse adversarios, consideres tecum, eum alias etiam similem rationem ingressum esse [28]). Nam Matth. 21, 23 sqq. simili Pharisaeorum quaestioni non respondet, nisi eo consilio, ut a poscendis miraculis mentem eorum avertat. Maxime autem memorabiles sunt duo isti duorum evangelistarum de miraculo Jonae loci, quorum jam supra mentionem fecimus: Matth. 12, 38. sqq. (coll. 16, 1—4.) et Luc. 11, 29. sqq. Nimirum Pharisaeis miraculum flagitantibus, minime sequutus eorum voluntatem, solum prophetae Jonae miraculum datum iri respondit.

---

28) Lege etiam, quae de hac Jesu in refellendis aliorum argumentis dicendi quasi audacia Hasius scripsit: das Leben Jesu pg. 141 sq. ed. 2. „Eigenthümlich ist (in der Lehrweise Jesu), was man minder richtig Neigung zum Paradoxen genannt hat, die kühne Widerlegung eines Einwurfs dadurch, dass derjenige Gedanke, gegen dessen geringere Potenz der Einwurf gemacht worden war, in seiner ganzen Fülle ausgesprochen wird, so dass der Gegensatz gegen das Geringere sich im Gegensatze gegen das Höhere aufhebt und dieser in seiner vollen Kraft das Gemüth übermannt. Joh. 3, 12. f. 5, 17. f. cf. 8, 58.“ —

Hanc vero responsionem ad mortem et resurrectionem non esse referendam, supra ostendimus. Itaque his etiam locis nihil agit, nisi hoc, ut avertat molestas Pharisaeorum legisque doctorum quaestiones. —

3) Quo vero sensu hoc dixerit Jesus, id apparebit ex comparatione loci Matth. 12, 1—8. maxime v. 6. et 8. Nam quemadmodum illic dicit: „λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε. — Κύριος γάρ ἐστι τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου," — ita et nostro loco hoc sibi vult: „mihi — Messiae — non solum hos homines ejicere, sed totum adeo templum mutare licet. Etenim major sum templo: τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε." —

4) Aliquid certe commendationis haec nostra explicatio etiam ex illo Actorum loco supra jam excitato 6, 13. 14. ducere potest, in quo τόπον verbum haud dubie suo sensu positum est: „hunc locum, h. e. hoc templum evertet et (quod inde sequitur) mutabit instituta a Mose nobis tradita"[29]. —

5) Illud ἐν τρισὶν ἡμέραις multum habere difficultatis, non nego. Sed eadem haec est difficultas in allegorica illa interpretatione. In his verbis ii soli non offendent, qui apostoli sententiam tuentur. Atque hi videant, quomodo argumenta contra eam proposita ad nihilum redigant. Nolumus ad locos a Lückio extricatos Hos. 6, 2. Luc. 13, 22. al. provocare et triduo illo, tanquam proverbio, in universum brevissimum temporis spatium significatum esse opinari. Imo, quum de specioso quodam ageretur miraculo, incredibilis dierum, intra quos templum instaurandum esset, paucitas accurate erat definienda. In ternarium autem numerum Jesus eo facilius incidere potuit, quo magis ille ab antiquissimis inde temporibus etiam apud Judaeos aliquam habebat sanctitatem[30].

---

29) Nam quod isti martyres dicuntur fuisse ψευδεῖς, id, quum nesciamus, qua in re insit eorum mendacium, vel nullam habet vim ad sententiam nostram refutandam, vel eam, ut ad hunc locum provocare omnino non liceat. Qua de caussa argumenta a Straussio aliisque hoc ex loco petita fundamento satis infirmo superstructa sunt. —

30) cf. Winer: bibl. Realwörterbuch, sub. v. Zahlen, pg. 827.

Itaque eo tandem ventum est, ut nobis videamur adquiescere debere in Judaica ista interpretatione, quae, quamvis per se non omni ex parte placeat, tamen eo, quo diximus, modo haud dubie ferri potest, facilitate commendatur et cum regulis hermeneuticis sola conciliari posse videtur. Atque ut nihil praetermittam, quo huic interpretationi virorum doctorum favorem conciliare possim, temperare mihi non possum, quin huc transscribam locum summi Chrysostomi memoratu longe dignissimum, quem eo majore cum voluptate legi, quo magis eos etiam interpretes, quibus Judaica interpretatio una omnium minime placet, commonet, ne tanto de ea, quanto solent, contemtu amplius loquantur. — Chrysostomus enim, quamquam eum sensum Jesu verbis inesse credit, quem evangelista iis inesse contendit, tamen non dubitat, Jesum hac responsione nihil voluisse, nisi hoc, ut ablegaret Judaeos, quare hunc nostrum locum cum illo apud Matth. 16, 4. componit. Et quamquam putat, Jesum ipsum de corpore suo cogitasse, tamen eum his verbis minime eo consilio usum esse dicit, ut Judaei sublimiorem istum sensum adsequerentur. Verba summi viri haec sunt: „διὰ τοῦτο οὐδὲ δίδωσιν αὐτοῖς σημεῖον. ἐπεὶ καὶ πρότερον προςελθοῦσι καὶ αἰτοῦσι τὸ αὐτὸ ἀπεκρίνατο· Matth. 16, 4. γενεὰ — Ἰωνᾶ. ἀλλὰ τότε μὲν σαφέστερον· νυνὶ δὲ αἰνιγματωδέστερον. ποιεῖ δὲ τοῦτο διὰ τὴν ἐσχάτην αὐτῶν ἀναισθησίαν. οὐ γὰρ ἂν ὁ μὴ αἰτοῦντας προλαμβάνων καὶ σημεῖα διδοὺς, τοὺς αἰτοῦντας ἂν ἀπεστράφη, εἰ μὴ τὴν διάνοιαν αὐτῶν εἶδε πονηρὰν οὖσαν καὶ δολερὰν καὶ ὕπουλον αὐτῶν τὴν προαίρεσιν. — — τίνος οὖν ἕνεκεν οὐκ ἔλυσε τὸ αἴνιγμα καὶ εἶπεν ὅτι οὐ περὶ τοῦ ναοῦ λέγω τούτου, ἀλλὰ περὶ τῆς σαρκὸς τῆς ἐμῆς; — — ὅτι οὐκ ἂν τὸν λόγον ἐδέξαντο· εἰ γὰρ μηδὲ οἱ μαθηταὶ ἱκανοί πως συνιέναι τὸ λεχθὲν ἦσαν, πολλῷ μᾶλλον οἱ ὄχλοι [31]). Ita-

ed. 2. „Die Zahl 3 etc.“ et locos a Winero commemoratos: exod. 23, 14. deut. 16, 16. num. 6, 24. sqq. Jes. 6, 3.

31) Chrysostomi homil. in Joann. XXIII. pg. 134. sq. ed. Montf. —

que ii, quibus de ea, quam nos defensum ivimus, sententia jam actum esse videbatur, si ab hoc loco alienam adeoque absurdam eam dicerent — haec enim summa est omnium argumentorum contra eam prolatorum [32]) — an rem confecerint, an satis considerate dixerint, ipsi videant. Profecto haud pauci sunt n. Ti. loci, in quibus de proprii sensus praestantia minime desperabimus, si modo propria verborum potestate rectius uti didicerimus. Neque dubitamus, ad hujusmodi locos multum lucis redundaturum esse e subtiliore rhetorices n. Ti. cognitione, cui, ut singulari opera studeant viri docti, vehementer optandum est [33]). —

Sed longius, quam volueram, me prolapsum esse video. Itaque quidquid est hujus scriptionis, hoc Tuo, mi Fellere, judicio subjicio atque, ut ex aequo et bono judicare velis, peto. Tu mihi et sodalibus omnibus, quorum interpres prodii, ut adhuc, ita in posterum fave. Hoc Te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. — —

32) Lückius pg. 418. „Darin dem Johannes Recht zu geben, dass die Juden Jesum falsch verstanden, wird uns sehr leicht. Etwas so Abenteuerliches, so Zweck- und Geistloses, wie das, was die Juden verstehen, wer kann das den Worten Jesu zumuthen?" — Meyerus: „ein solches Paradoxon, welches eine absurde Verheissung an eine absurde Bedingung knüpft, war aus dem Munde Jesu nicht zu erwarten." — Straussius: „Der Auffassung der Juden kann man nicht beistimmen wollen, ohne Jesu gegen seinen sonstigen Charakter eine ins Ungeheure getriebene Grosssprecherei zuzuschreiben." —

33) Vide, quae s. Ven. Käufferus in libro, quem de biblica *ζωῆς αἰωνίου* notione scripsit pg. 34. adnotavit ad locum Matth. 8, 22. „Modo ne unquam desperemus de literalis sensus praestantia, modo rectius proprio verborum sensu uti discamus, modo desinamus, doctas et subtiles in verbis Jesu sectari sententias! Divina quaeque simplicitatis eminent virtute." —

Dresdae, typis B. G. Teubneri.